

aspiciens nobis quod cœpi perficiam. Scitote quod huius lapidis pretiosi operis perfectio est ipsum regere medicinæ residuo eius quod reservâsti quare duarum tertiarum partium residuarum, ad ipsum imbuendum altera imbuite, ac in calore ad coquendum ponite, & sit ignis eius priore intensior, creatur & cum desiccatur se invicem continet. Coquite igitur ceram donec bibat collam auri, quam desiccata cera, etiam imbuite residua septies donec illæ duæ finiantur tertiæ partes easq; omnes bibat recta terra. Demum ipsam calido imponite igni, donec terra suum extrahat florem, ac satis placeat. Si intelligatis beati estis. Sin autem, vobis operis perfectionem réiterabo: accipite album mundum quod maximum est arcanum, in quo est veritas tincturæ, eoq; arenam imbuite, quæ facta ex lapide est septies imbuto, quousq; totum bibat ac vasis os fortiter claudite, ut vos multoties iussi. Quoniam quod ex eo agitis DEO annuente vobis apparebit, quod est lapis tyrij coloris. Jam igitur perfeci veritatem ideò coniuro vos per DEUM, & vestrum verum magistrum, vt hoc maximum ostendatis arcanum, & cavete malignos.

Sermo vigesimus secundus.

THEOPHILUS *inquit*: Benè dixisti notificè & pulchrè, ac ab invidia liber factus es. *Ait Turba*. Exponat igitur nobis vestra discretio, q̄ notificus Pandolfus posuit: & noli esse invidus. *Et ille*. Omnes huius scientiæ investigatores, operis nummi & auri arcanum est tenebrosa vestis & nemo novit quæ philosophi in libris suis narraverunt absq; lectionum & tentationum frequentatione ac sapientum inquisitione. Quod enim posuerunt sublimius, & obscurius est quam quod scire possit, & quamvis notius, tractaverunt, & benè: quidam toti obscurè tractaverunt, alij aliis sunt lucidiores. *Respondit Turba*, veram dixisti. *Et ille*: Notifico posteris, quod inter Boritin & æs propinquitas est, eò quod Boritis sapientum æs liquefacit, & velut aqua fluxibilis verit. Dividite ergo venenum in duo æqualia quorum altero æs liquefacite, alterum verò ad terendum & imbuendum servate. Eò quod oportet vos æs in laminas perducere, demum cum priori veneni parte coquere duo ad septem in duobus, ad septem in sua coquite aqua 42. diebus, demum aperite vas & invenietis es in argentum vivum versum, abluite ipsum coquendo, quousq; sua prius nigredine, & fiat æs umbra carens.

rens.